



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri  
Viginti**

**Della Porta, Giambattista**

**Frankfurt, 1607**

Moschum quomodo adulteretur. Cap. IX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

*Pastilli ad suffitus optimi.*

Ex aquæ nansæ decoctione, si auferemus agallochum, sandalum, cinnamomum, & garyophyllos, ex ijs qui remanent pulueres, misturam conficiemus, ex qua plantulas efformabimus, quas cum calidis cineribus comburemus, suauissimum odorem halabunt, cinnamomum, & lignosa excipimus, quia dum comburuntur, tetrum fumi nidorem eructant. Fiunt &

*Alio modo.*

Carbones salicum subtilissime conterantur, incernanturque, quorum sesqui libra, ladani vnciæ quatuor, styracis drachmæ tres, laseris duæ, agallochi vna etiam tenuiter terantur: Sed styrax, laser, & ladanum in ærea pila ferreo pistillo calido misceantur: addatur his styracis liquidæ semiuncia, post soluat in aqua rosacea gummi tragacanthæ dictum, stillatim in pilam iniicies, ceteri pulueres paulatim remisceantur in vnguinis formam, auiculas efformabis ex mistura, aut quod quaesieris, & in vmbra siccabis, supra penicillo aliquid mofchi, aut ambaræ perlinae: quum incenduntur, incunctissimum fumus nidorem exhalabit. Nec insuaui quoque erit

*Suffitus.*

Si citri cortices, aut limonis minimo zibetho perlinae post garyophyllis indicis, & cinnamomi paxillis transfigas, & in aqua rosacea ebullire sinas, suffitus maxima iucunditate cubiculum replebit.

*Moschum quomodo adulteretur. CAP. IX.*

QVIA sæpissimè hæc odora menta ab impostoribus adulterantur, vt adulteria cognosci possint, & caueri declarabimus. Nam folliculis integris non statim fides adhibenda est: nam nō desunt impostores, qui varijs rebus repletos, moschum interponunt, donec eius odorem recipiant. Niger moschus ad subrubrum colorem accedens, hoc dino sanguine modice asso adulteratur, vel pane asso: ita vt tres, vel quatuor partes contrite ad vnam moschi adijciantur, vt vix dignoscatur. Adulterium

terium cognoscitur, quod panis assus friabilem reddit, sanguis hircinus frangenti lucidus & clarus interius apparet. Ab alijs hoc modo inficitur. Nucis moschatae, macis, cinnamomi, garyophyllorum, spicae nardi, singulorum pugillus unus contundantur, tusa omnia diligentissime, & cribro excreta, cum sanguine recenti columbae subigantur, & ad solem siccantur, mox trita, haec rosacea aqua, & moschata irrigentur, & durata terantur, & irrigentur multoties, tandem sinceri moschi quartam partem addes, & remiscebis, & rursus moschatam rosaceam aquam adijcies, massam in aliquas partes diuides, atq; hoedinis pilis, qui sub cauda inueniuntur, inuolues. Fit &

*Aliter.*

Styracem, ladanum, scobem ligni aloes miscent, compositioni moschem, vel zibethum addunt, omniaque cum rosacea aqua permiscunt. Deprehenditur adulterium, quod celeriter aqua mollescat, differtque odore, & colore. Alij moschum augent addendo radicem angelicae herbae, quae moschi odorem representare videtur. Sic quoque nituntur

*Zibethum adulterare*

felle bubulo, ac styraceliquida elota, vel melle cretico. Si vero moschum, vel ambara odorem expirarunt, sic faciendum

*vt moschum odorem exhalatum recipiat.*

In foetoribus, & latrinis pendulum accommodant, nam dum contra foetorem eluctatur, suas in se odoris partes recipit, & reuiuiscit, & amissum odorem recuperat.